

DOMINICA VIGESIMA TERTIA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. IX, VERS. 18

18. Hæc illo loquente ad eos, ecce Princeps unus accessit et adorabat eum dicens : Domine, filia mea modo defuncta est; sed veni, impone manum super eam, et vivet.

19. Et surgens Jesus sequebatur eum, et discipuli ejus.

20. Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus.

21. Dicebat enim intra se : Si tetigeri tantum vestimentum ejus, salva ero.

22. At Jesus conversus et videns eam, dixit : Confide filia, fides tua te salvam fecit; et salva facta est mulier ex illa hora.

23. Et cum venisset Jesus in domum Principis, et vidisset fibicines et turbam tumultuantem, dicebat :

24. Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit.

25. Et deridebant eum; et cum ejecta esset turba, intravit et tenuit manum ejus, et surrexit puella.

26. Et exiit fama hæc in universam terram illam.

VERSUS 18.

Hæc illo loquente ad eos, ecce Princeps unus accessit, et adorabat eum, dicens : Domine, filia mea modo defuncta est; sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet.

Ecce Princeps unus accessit.

1. — Quantumvis Judæi, prout Lyranus tradit, in sola civitate Jerosolymitana templum haberent, sacrificiis et hostiis destinatum, in aliis nihilominus etiam urbibus et villis, sua tenebant orationibus effundendis, verbo Dei audiendo, omnibusque aliis ad divinum cultum spectantibus, pro universali populi beneficio deputata loca, quique in iis tantum caput reliquorum cum auctoritate publica præerat, Princeps dicebatur Synagoga. S. Marcus porro Archisynagogum, nuncupat Jairum, quod idem ei nomen S. Lucas imposuit, quod nomen S. Bonaventura in sensu spirituali explicat : « Jairus interpretatur illuminatus et aliis debet in plebe Domini principari. »

2. — Glossa per hunc Principem, in sensu allegorico Moysen intelligit : « Archisynagogus, » inquit, « Moysen significat; dicitur Jairus, id est, « illuminans vel illuminatus, quia accepit verba « vite dare nobis; videns Dominum in carne ven- « turum, cadit ad pedes ejus, dicens : Quod infr- « mun est Dei, fortius est hominibus, pro filia rogat, « id est, pro Synagoga, quæ sola lege instructa « unica et erat, quæ a lege et Prophetis educata, « postquam filios Deo generare debuit spirituales « erroribus languens in peccatis moritur; prius pro

« ea patros rogaverunt, tamen magna fides gentium « prius impetravit, Synagoga in civitate legis, ut in « domo, in qua unius Dei cultus est, moritur et « suscitatur. »

3. — Hoc verbum accessit, Archisynagogum ingens lumen, magnamque Dei, veri solis justitiæ, notitiam accepisse denotat, qui proinde benedicitur : *Jairus*, id est, *illuminatus*; nam ut Psalmista ait : *Accedite ad eum et illuminamini.*

Et adorabat eum.

4. — S. Lucas ait : *Cecidit ad pedes ejus.* Albertus Magnus *super Lucam*, in hoc tanto viro hunc humilitatis actum valde admiratur : « Ecce humili- « tas devotionis, quia cum Princeps esset, non « dedignatus est locum pedum querere; *Psal.* « cxxxi, 7 : *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes « ejus;* » et quidem indubitatum est, quin considerabilis sit hæc adoratio, quod pro illo tempore Christus, Sacerdotibus, Scribis et aliis Synagoga Principibus probro et contemptui haberetur : *Nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum? de Regulo quidem constat, quod a Christo, ut in domum suam se conferret pelierit; rogabat eum;* non vero quod adoravit, sed ecce tribulationum effectum, utpote quibus superiorum fastus plane deprimitur.

Domine, filia mea modo defuncta est.

5. — Archisynagogus ille Christum paucis verbis ad compassionem commovere conatus fuit, quibus scilicet pro filia quadam supplicabat, quæ unica divitiarum ejus hæres cum esset, optimo ætatis

floris decessit; nam ut Chrysostomus, *Hom. xxxi in Matth.*, ait : « Unica puella erat et duodecim « annum, ipsum ferme florem ætatis, attingerat. » Solet nonnunquam Deus, immaturam mortem permittere in penam parentum, qui nimio prolium suarum amore ducti, illis supra modum blandiuntur, bonamque earum educationem negligunt, neque vilia, tali ætati lubricæ familiaria corrigere satagunt; rapit quoque eas per immaturam mortem, in beneficium eorumdem parentum, quos avaritiæ et iniquis extorsionibus deditos futuros esse prævidet, ut filiis divitiis et vitæ commoda coarcent; rapit item eos, ad eorumdem filiorum utilitatem, dum illos in annis malitiæ incapacibus hinc advocans, salutem eorum securam reddit.

6. — S. Bonaventura in sensu morali ait : « Filia tua est anima tua defuncta per culpam, cui « manus Christi imponitur per gratiam. »

7. — Ex textu Evangelistarum hæc historiam recensentium, dubium nascitur, quia S. Marcus, v, 23, ita scribit : *Deprecabatur eum, dicens : quantum filia mea in extremis est;* S. Lucas, viii, 41, vero ait : *Rogans, ut intraret in domum ejus, quia unica filia erat eis, fere annorum duodecim, et hæc moriebatur;* quare igitur Princeps apud Mattheum dicit : *Modo defuncta est;* Theophylactus ipsum afflictionem suam exaggerasse dicit, filiam mortuam dicendo, ut ad compassionem Christum magis permoveeret : « Ut augens calamitatem, quod ad misericordiam « provocaret Christum; » Toletus dicit : « Dolorem « suum amplificabat; solent enim, qui rogant, suas « ærummas augere. » Dionysius Carthusianus usitatum loquendi modum esse dicit, quod infirmum desperatum et a medicis juxta medicinas regulas depositum, mortuum esse dicimus, maxime dum est agonizans : « Dicendum, » inquit, « quod loqui- « tur secundum communem modum loquendi, quo « de agonizante, cujus vita desperatur, communi- « ter dicitur, quod sit mortuus homo; » ad hæc dici potest, quod quando hic Princeps e domo sua egressus est, filiam agonizantem reliquerit, ac proinde eam intermedio tempore obiisse rationabiliter censere poterit. Lyranus ait, id quod S. Marcus et Lucas scripserit, verissimum fuisse pro tempore, quo e domo exibat : « Sed antequam « Jesus veniret ad domum patris, ejus filia mortua « est, propter quod nuntii venerunt, de domo, qui « dixerunt : *Noti vexare Magistrum, quia defuncta « est filia tua.* »

8. — S. Bonaventura supra verbum *moriebatur*, quod S. Lucas utitur, scribit : « Filiam suam quasi « mortuam reputabat. » Unde et S. Augustinus de concordia Evangelistarum de duobus aliis Evangelistis dicit : « Expresserunt Principis verbum, « Mattheus vero intellectum expressit, quia eam « mortuam reputabat. »

9. — Theophylactus, *Hom. xxxi in Matth.*, ait,

quod, ex quo filiam moribundam reliquerit, eam mortuam esse conjecerit : « Dicit autem velut con- « jectans, eo quod relinqueret eam in extremis « exhalantem spiritum; » idem quoque Chrysostomus his verbis exprimit : « A tempore itineris con- « jicientis verbum erat, modo mortuam esse, aut « forsam calamitatem amplificantis. »

10. — Lyranus aliorum interpretum expositioni innixus, censet S. Mattheum, brevitate gratia, id quod SS. Marcus et Lucas referunt, omisisse : « Ita, « omittit, ut brevius scribat, et accipit patris ver- « bum ab illo tempore, quo receipt nuntium. » Toletus qui hæc difficultatem diligenter et fuse examinat, Euthymio adhæret, dicenti, Archisynagogum prius Christo dixisse, quod moribunda esset, postea vero recepto mortis nuntio, subdidisse : *Modo defuncta est*, unde dicit : « Hæc sententia « mihi omnium accommodatissima videtur, existi- « timo enim sic se totam rem habuisse : puella in « extremis erat, quando Archisynagogus domo sua « egressus est ad Christum, quando autem accessit, « quia facile fieri poterat, ut jam tunc mortua « esset, ut veritatem Christo proponeret, dixit : « *Filia mea in extremis est, aut modo mortua est;* « adjicit illud *modo*, indicans tempus quando « loquebatur cum Domino. » Dionysius Carthusianus ait : « Mattheus narrat verba Jai, quæ dixit « Christo, postquam a servis suis perceperit, filiam « esse mortuam. »

11. — S. Anselmus ipsum et agoniam, et mortem filia Christo nuntiasse censet, nuntium tamen mortis a servis acceptum subicit. Lucas Brugensis vero diligentissimus litteralis sensuum examinator, ita scribit : « Sic historia texenda est, quod primo « pelierit in sanitatem restitui filiam, extreme « laborantem, deinde etiam a morte in vitam « restitui, postquam allato mortis nuntio, animum « illi Christus addidit. » Cajetanus quoque eidem opinioni subscribit, dicens : « Primo rogans, dixit, « quod filia sua in extremis laboret; deinde eundo « cum Jesu accepit nuntios, quod mortua esset, et « tunc dixit Jesu, quod S. Mattheus explicat. »

12. — Chrysostomus, *Hom. li in Matth.*, ait : « Duo a Christo postulat, ut veniat, et ut manum « imponat; quod signum erat, spirare adhuc « puellam, quando ab ea pater decesserat; » at vero, quod magis mirandum est, hic Jairus de eorum numero erat, qui Christum persequebantur, nam Pharisei de omnibus Principibus edixerat, *Joan.*, ii, 48 : *Nunquid ex Principibus aliquis credit in eum?* et S. Lucas, xiii, 14, ait : *Archisynagogus indignans, quod sabbato curasset Jesus, et tamen non constat, eum a Christo reprehensum, qui politus benigne ab illo exceptus fuit, non obstante fide ejus adeo imperfecta, dum ait : Veni, impone manum tuam; cum Centurio contra dixerit : Dic tantum verbo; at hoc mirum non est. Christus id*

non solum ideo fecit, quia se erga illos, a quibus male tractabatur, benigniorem semper et beneficiorem ostendere consuevit, sed etiam ad hoc ex eo moveri potuit, quia Princeps ille præter Magnatum morem, summa cum fiducia, devotione et submissione animi in ipsum, suam ei supplicationem proposuit, unde æquum duxit, ei non cum amaritudine sed benevole respondere, quia magni æstimandum est, dum se humiliant Magnates.

13. — Ex Evangelistarum relatione, trium præcipue mortuorum resuscitationem factam esse constat, nempe filii vidue Naimiticae, Lazari et hujus filiae; at vero de hac solum constat, quod ejus in vitam revocatio supplicii prece a Christo requisita fuerit, quia mater illa plorans, nullam pro filio fecit instantiam; sorores quoque Lazari, licet nuntios ad Christum miserint, pro insinuanda fratris infirmitate, pro ejus tamen resuscitatione non supplicarunt. Eusebius Emissenus per hosce tres mortuos, tres varios peccatorum gradus insinuari his verbis, *Hom. de Laz.*, docet: « Moritur homo, prava et illicita cogitando, moritur male operando, moritur in peccatis perseverando; cogitas aliquid agere, quod non licet? mortua est anima tua, sed latet peccatum et nondum divulgatum est; si vere cogitationem ad effectum perducas, non solum mortua est, sed jam extra civitatis portam elata, et per peccatum ab Ecclesia separata et perditioni proxima est; at vero ille, qui peccatum aliquid commisit, et multo tempore in eo perseverat, non solum mortuus est et sepultus, verum etiam jam fetet, quia ejus turpissimam famam circumquaque audire abhorret; omnes hos suscipiet Jesus, si a peccato exeant et ex corde peniteant; » hæc autem filia præ cæteris resuscitatis hanc habet prærogativam, quod animam præfiguravit in peccato quidem mortuam, sed tamen tali, quod occultum est et non publicum, et recentem admissum, quod proinde nec habitatum est, nec scandalosum, hujus cura et remedium facilius est, aliorumque pro tali resuscitando facta ad Deum preces citius acceptantur, cum e contra in peccatoribus habitatis obstinatio, durities cordis, et mala peccandi consuetudo plurimum resistat, paucique sint, qui pro his orantes, a Deo exaudiantur. S. Bonaventura, *Serm. 1 in hoc Dom.*, notat, Principem dixisse: *Modo defuncta est*, et immediate a morte Christum ad eandem resuscitandam invitasse: « Festina, » inquit, « conversio: modo; non dicit anno præterito, sed modo: *Ne tardes converti ad Dominum et ne differas de die in diem.* » Idem quoque Seraphicus Doctor ait: « Manus autem imponenda est misericordie suæ gratia; Christi operatio quatuor facit in nobis; purgat culpam, reparat naturam, confert gratiam, præparat gloriam, hujus filiae suscitatio est anime peccatricis justificatio. »

Per hanc quoque manus impositionem intelligi potest absolutio sacramentalis; per verbum *veni*, gratia excitans, per quam ad ferventes compunctionis actus eliciendos promovetur.

14. — De iis divinis manibus Job, x, 8, ait: *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, et plasmaverunt.* Chrysologus dicit, *Serm. xxxiii*: « *Veni et impone manum, ut qui sponte posuit ad creandum, ad reparandum iterum exoratus imponat.* » Ab hac Dei manu salutem nostram sperare possumus, dicente Davide: *Fiat manus tua, ut salvet me; in manibus tuis sortes meæ.*

15. — Didacus Stella observat, quod Christus huic Principem non sicut Regulum, ob modicam fidem reprehenderit, idque præcipue, quia caput Synagogæ erat: « Hic Sacerdos erat et Princeps Synagogæ; hinc ad nostram eruditionem disca-mus, viros ecclesiasticos, Prelatos honorare, et eorum peccata, saltem coram populo, non arguere. » Idem quoque Principis hujus sollicitudinem, in providendo infirmitati filie remedio ponderans, aliud inde elicit dogma pro iis, quibus regimen commissum est animarum: « Discant Prelati, exemplo hujus Archisynagogi, quam subditorum suorum debeant habere curam, et si quando tot in peccato mortuos viderint, accurrant, et amore paterno Deum precentur, ut illos manu misericordie suæ tangat. » Se quoque reflectit idem Auctor ad Salvatoris benignitatem, qui tanta cum benevolentia afflictum hunc recipit; licet præstitum ab eo obsequium, propriam ejus utilitatem respicere probe sciret: « Propter commo-dum, ad Dominum accedit, sed quomodocumque accedant homines, eos suscipit Dei benignitas. »

16. — S. Thomas, in *Matth.*, in sensu allegorico ait: « Significatur appetitus Patrum de venturo Christo, unde dicebant: *Veni, impone manum tuam, id est, Christum, ut in Psal. cxliii, 7: Emitte manum tuam de alto.* »

Additiones.

a. — *Ecce Princeps unus accessit.* Ille homo vere dicitur Princeps, quia seipsum et omnem vanam erubescens vincere noverat, ut a Phariseorum supercilio descenderet et ad Christum veniret, eumque adoraret. Qui enim pudorem excutit, constans in servitio divino, magnam glorie possidet arham. Paterfamilias quidam servos suos misit, ut fructus cujusdam vineæ suæ exigerent. Vinitores autem, non solum censum pactum non solverunt, sed insuper illos qui ad exigendum censum missi fuerant occiderunt; ac proinde justum quidem fuisset ut paterfamilias ad homicidas illos castigandos justitiæ vindictivæ ensem in illos vibraret; attamen expediens futurum esse censuit si prius filium suum eodem fine ad eosdem mitteret; dicebat enim intra se: *Forsitan verebuntur filium*

meum. Auctor Imperfecti, hæc parabola utitur, ut ostendat, qualem Deus peccatoribus pietatem exhibeat, postquam ab eis sæpius mortaliter offensus fuit, ponderansque verba illa: *Forsitan verebuntur filium meum*, ait: « Misit confundere illos, non panem, nam pro tantis injuriis benigno domino sufficiebat sola vindicta pudoris. » Etenim si is qui a mundo se abduci, malas societates relinquit et conversationes suspectas aversatur, ideoque in conspectu mundi digitis monstratur et deridetur; si is, inquam, post factam veram penitentiam, omnia sibi erogata ludibria amore Dei libenter suscipiat, certus esse poterit, hanc patientiam ad diluendam penam temporalem peccatis suis debitam, plurimum adjutam, nam pro tantis injuriis benigno Domino sufficit sola vindicta pudoris. S. Ephrem peccatricem Magdalenam, ad postulandam a Christo peccatorum suorum plenariam indulgentiam, domum Pharisæi ingredientem, hunc in modum loquentem introducit: « Quemadmodum exteriores oculos meos inhonestos exhibens, prius neminem erubesceram, sed a multis me rapi permittebam; ita et nunc, nisi internos cordis mei oculos cum multa austeritate, atque veracundia commutans, ingressa fuero, non poterò mei desiderii compos fieri. » Atque ideo cum virtuosam quadam et laudabili verecundia coram Salvatore, apparere voluit, ut veniam reciperet et divinæ gratiæ restitueretur: *Est confusio adducens gratiam.* *Ecclesi.*, iv, 14. De qua laudabili erubescencia S. Bernardus, *Serm. xviii in Cant.*, ita scribit: « Rubor ipse genarum, quem forte invenerit pudor, quantum gratiæ et decoris suffuso afferre vultui solet. Usque adeo genuinum animi bonum verecundia est, ut qui mala agere non ventur, verici tamen verecundentur, dicente Domino: *Omnis qui male agit, odit lucem.* »

b. — Accessit Princeps hic ad Christum, sicut alii accedebant. Sorores autem Lazari non adierunt, sed miserunt; viris enim convenit exire foras, mulieribus autem non item. Ad castitatem enim conservandam solitudo plurimum conducit, cui vel maxime sexus femineus deditus esse debet. Sponsus cælestis Sponsam suam, id est, animam puram et immaculatam, non semel, sed iteratis vicibus hortum, et hortum quidem conclusum, appellavit, ut ex hoc nomine intelligeremus, quanta cum sollicitudine, pro firma castitatis custodia, solitudini vacandum sit animabus castis. In cujus confirmationem S. Bonaventura inquit: « Castitas debet habere clausuram studiosam, nam dicitur: *Hortus conclusus soror mea sponsa;* » simulque idem Seraphicus Doctor observat quod sicut in hortum conclusum, nemo potest ingredi, nisi ab alto: « Sic in homine casto, qui habet clausuram continentiæ, nullum desiderium debet intrare, nisi cælestis tantum. »

Sponsus cælestis in sacris Cantibus interrogabat olim, viii, 8: *Quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est?* Respondet autem idem Sponsus: *Si murus est, adificemus super eum propugnacula argentea.* Ubi Hugo Cardinalis ait: « Muri et propugnacula quibus ipsa custodiebatur, talem indicant virginis solitudinis recessum, quod major dari nequit. » S. Bernardus notat, quod dum ab Angelo, in Annuntiatione sua visitata fuit, clauserat illa hora super se habitaculum suum « Virgo prudentissima, sed hominibus, non Angelis; » et tamen turbata est in sermone ejus. Causa autem turbationis hujus fuit, quia Archangelus Gabriel in assumpta specie humana, ad illam ingrediebatur; unde S. Ambrosius ait: « Ipsa autem ut vidit eum, mota est in introitu ejus, sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, Angelus « reperiret, sola sine comite, sola sine teste, ne quo degenerare depravaretur affatu, ab Angelo salutaretur. » Maria etiam salutationem Angeli verebatur. De eadem quoque Deipara, idem S. Doctor, *lib. II de Virginitate*, ita scribit: « Prodire a domo « nescia, nisi cum ad Ecclesiam conveniret, domestico operosa secreto. »

Completa Annuntiatione, a Deo mota fuit, ut S. Elisabetham cognatam suam Præcursore filio suo gravidam, ministerii causa visitaret; at vero non sine mysterio S. Lucas, i, 39, de hoc itinere scripsit: *Abiit in montana, cum festinatione.* Ubi Dionysius Carthusianus ait: « Per hoc quod cum festinatione perrexit, docentur puellæ, ac femine, non diu extra domum manere, nec fabulari in publicis; pertinet namque ad sexum femineum pudor, timor, custodia, taciturnitas et esse in domo. »

c. — *Et adorabat eum.* Undenam hic Princeps in tantam devenit humilitatem? Ecce filia ejus mortua erat, in qua videns miseriam conditionis humane, omnem superbit fastum. Grandium enim factum atque depressum consideratio mortis deiecit. Severus imperator qui suam sibi preparari fecerat mortalem urnam, intra quam cineres suos recludendos staterat, frequenter eam attingens dicebat: « Tu virum capies, quem totum mundus « capere non potuit. » Immensa illa regis Nabuchodonosori in somnis exhibitæ statua, quæ caput aureum, pectus et brachia argentea, ventrem et latera ænea, crura unamque pedum partem ferream habebat, juxta Danielis expositionem, quatuor sublimissimas significabat mundi monarchias, quas inter illa Assyriorum primum tenebat locum. Quorum regem Altissimo se assimilare volentem, dum humiliare vellet Dominum, ut quis sceptorum coronarumque regalium finis esset, intelligeret, exile ei exhibitæ saxum, motu proprio de monte corruens, inque pedes impingens statum, violenter adeo, ut ipsam penitus attriverit et quasi in nihi-

lum redegerit, dicente Scriptura: *Contrita sunt pariter ferrum, testa, aes, argentum, et aurum, et redacta quasi in favillam.* Quo facto increata Sapientia Magnates edocere voluit, dominia, regna, imperia, nil nisi colossos esse in aere fundatos, ac somnia et quantumvis armatis innitatur exercitiis, provinciarum dominio, legum promulgationi, populorum servituti, nihilominus omnes tam principes quam reges, imperatores et monarchas, pedibus constare fragilis vitæ, eorumque vitam, quemadmodum uniuscujusque alterius, ab unica dependere respirazione et flatu. Quæ illis singulariter verbis insinuari videntur: *Contrita sunt pariter, etc.* Siquidem et quemadmodum communis residua totius humani generis massa, ita et magnates multiplices subiacent morbo, faciliusque deficiunt, insidias sustinentes a conjurationibus et traditionibus, reformidati ab impiis, technis dolisque subjacentes inimicorum.

d. — *Filia mea modo defuncta est.* Princeps hic non accessisset ad Christum, nisi hac filie suæ pressus fuisset infirmitate; bonæ igitur sunt corporis infirmitates, ac adversitates, utpote ex quibus magnum capimus lucrum. Unde propter easdem Deo agendæ sunt gratiæ. Divus Chrysostomus illum Psalmi XLIX versiculum: *Invoca me in die afflictionis; erum te et honorificabis me,* a Deo hujusmodi gratiarum actionem, non propter suum, sed nostrum lucrum requiri, statuit his verbis: « Hoc » dicit, non eges nostra gloria. Quomodo enim » egeret qui est Deus gloriæ? Sed ut per hymnum » gratiarum actionis, fiat memoria beneficii et sit » vehementior in eum affectio, quod primo felicitatem maximam accipiamus. » Idem Psalmista, *Psal. LXX, 8,* alibi hanc a Deo gratiam postulasse scribitur, ut scilicet os ejus laudum, divinarumque gratiarum plenitudine exundaret. Supplicat enim dicens: *Repleatur os meum laude, ut hymnum dicam gloriam tuam, tota die magnitudinem meam,* prout S. Augustinus legit, qui immediato subjungit: « Quid est *tota die?* Sine intermissione. In prospectu, quia consolariis; in adversis, quia corrigis. » Antequam essem, quia fecisti; cum essem, quia salutem dedisti; cum peccassem, quia ignorasti; cum conversus essem, quia adjuristi; cum perse- » verassem, quia coronasti. »

S. Propheta Job, v, 17, ait: *Beatus homo, qui corripitur a Deo. Inreparationem Domini ne reprobes, quia ipse vulnerat et medetur; percussit et manus ejus sanabunt.* Certissimum est quod medico non minus gratias agere teneamur, quando nos per remedia lenitiva, restaurativa, vel refrigerium apportantia curat, quam quando ferat, ignem, dietas et bolos amarus nobis adhibet. In utroque enim eventu aliud nihil quam sanitatis nostræ recuperationem intendit. Ita quoque ut Procopius ait: « Tam est » nostræ salutis peritus artifex Deus, ut vel plagas

« incutiens, medeatur, utrinque nos ad pietatem » provocans. » S. Cyprianus, eandem chirurgi adducens similitudinem, inquit: « Imperius est » medicus, qui lumentes vulnerum sinus manu » parcante contrectat et in aliis recessibus viscerum virus inclusum dum servat, exaggerat. » « riendum vulnus est et secundum. Vociferetur et » clamet licet, et conqueratur æger impatiens per » dolorem, gratias agat postmodum cum senserit » sanitatem. »

e. — Pressus calamitate, Princeps synagogæ accessit et adorabat Jesum. Bonæ igitur sunt corporales infirmitates et adversitates. Mala enim quæ nos premunt ad Deum ire compellunt.

f. — Archisynagogus istum merito et nos tanquam legis etiam nostræ doctorem audimus. Dno enim nos docet, summopere necessaria et salutaria. Primum, post peccatum admissum statim quaerere remedium, nec differre penitentiam. Alterum, festinare ad Sacerdotem, qui per manus impositionem nos absolvat a peccatis. Filia nostra unica, qualis hæc Jaira, anima est, quæ heu, moritur, cum lethale peccatum admittit. *Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur, Ezech., xviii, 20.* Est tamen morti huic remedium, videlicet penitentia. Sed vite ut festines cum Archisynagogo, dum adhuc calet anima; *vide ne de die in diem differas,* quia unica tibi est anima et penitentia sera raro est vera, maxime in articulo mortis. In vita insignis servi Dei, Joannes Baptista Vitellii, de Fulgino, viri rari sanctitate præditi, refertur quod cum sanctus hic vir alias in infirmitatibus suis a divina clemencia impingari in mente sua consueverit, in certa tamen quadam infirmitate sæpius mens ejus adeo arida et eclipspata permanserit, ut sibi videretur quasi a semetipso destitutus et veluti in mari quodam tenebrarum et oblivionis profunde sepultus. Unde similis factus est in lecto infirmitatis, adhuc vivens trunco alicui immobili, vel cadaveri non minus gelido quam desolato, ob corpus ejus angustiatum et immobile. Unde sequens potest formari argumentum: *Si hæc in viridi, quæ in arido?* Si vehementia infirmitatis in homine cæterum in oratione et contemplationibus celestibus adeo elevato efficere potuit, ut vir ille adeo fieret aridus et Dei quodammodo oblitus, quid de eo dicemus, qui in vita sua nullas unquam alias cogitationes in mente sua revolvit, quam de carne, mundo, voluptatibus, honoribus, vindictis cunctisque aliis rebus inhonestis? Qua ratione persuadere nobis poterimus, quod talis in extremo articulo mortis, se totum occupare possit cogitationibus et affectibus celestibus, siquidem corpus quod corrumpitur aggravat animam. « In mortis deprehensi articulo, » inquit B. Laurentius Justinianus, « atque languoris nimietate » afflicti, pene nihil aliud, quam de se cogitare » sufficiunt, revolventes animo sedulo, quibus

« remediis suis valeant mederi doloribus, protelare » exitum, recuperare vires atque optatæ restitu » sanitati. Fit autem persepe, ut circa talia occupati » interior, salutis propriæ compunctionis dispositione deficiant. » Idem quoque punctum S. Bernardinus, *Serm. xiv,* his verbis tangit: « Mens a dolore » corporeo transigatur; » unde Gregorius ait: « Egritudine opprimeris? Nihil aliud cogitare » poteris, quia dirigatur tota intentio mentis, ubi » sentitur vis doloris. » Eandem quoque doctrinam S. Augustinus, *Serm. xlviii ad Fratres,* sollicite his verbis inculcat: « Agite penitentiam antequam » mors inimica nature vos aggrediatur. Nam cum in » extrema egritudine fueritis, fratres, o quam forte, » o quam durum, o quam lacrymabile erit vobis » penitere et dolere, de malis commissis et de » bonis omissis? Quare hoc erit nisi quia illic capitur tota intentio mentis, ubi est vis doloris? » « Multa enim occurrunt impedimenta cordi. Nam » corpus dolet, pœna affligit, quia mors appropinquat intrare; filios quos patres summopere » dilexerunt, pro quibus etiam se damnatos existimant, tenebroso oculo aspiciunt; uxores jam » lacrymantibus considerant; mundus adhuc eis fiduciam præstat; diabolus, ne de peccatis doleant » fidem tribuit et chirographum infirmantibus præbet; caro non defocere adhuc satis sperat; medici » adhuc ut lucentur, ipsum confortant; parentes » applaudunt; Sacerdotes alliciunt et sic divites » moriuntur in Infernum. »

g. — *Impone manum tuam super eam et vive.* Agnoverat Archisynagogus carnem Christi rivificam vim habere et spiritum vitæ. Postulat ergo ut filiam tangat, tanquam certus quod ex tactu illius sanctissimæ carnis spiritum vitæ hauriet filia. Conferat tunc per tactum corporis spiritum vite corporibus; nec minorem habet virtutem nunc in Sacratissimo Sacramento conferendi vitam animabus. S. Hilarius, *lib. VIII de Trinitate,* sic ait: « Hæc » vero vitæ nostræ causa est, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus, » victuris nobis per eum, cum ea conditione, quæ » vivit ipse per Patrem. » Christus enim apud S. Joannem, vi, 58, protestatus fuerat dicens: *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducavit me, et ipse vivet propter me.* Unde S. Hilarius hanc deducit consequentiam: « Vivit ergo » per Patrem et quomodo per Patrem vivit, eodem » modo nos per carnem ejus vivemus. » Apte ad propositum nostrum observat S. Bonaventura, quod incarnata Sapientia, dum in capite vi Joannis, de hoc Sacramento quod insitutum erat diffuse loquitur, non semel sed decies vite mentionem faciat: « Decies, » inquit, « reperitur hic actus vivificandi, » et attribuitur pani. » S. Augustinus, *Serm. n de verb. Apost.,* de hujus Sacramenti salutari calice,

inquit: « Illum bibere quid est, nisi vivere? Man- » duca vitam, libe vitam, habebis vitam et inte- » gra est vita. » In Canone Missæ post consecrationem hæc verba recitantur: « Panem sanctum » vitæ æternæ et calicem salutis perpetuæ. » Similiter ante consecrationem, in eodem canone oblationem hostiæ, non solum pro salute animæ, sed etiam corporis, presentamus dicendo: « Pro spe » salutis et incolumitatis. » Ubi Remigius Altisiodorici notat dicens: « Nec solum pro salute æternæ, » sed etiam pro temporalis incolumitate, id est, » corporali sanitate, incolumitas enim dicitur » sanitas et integritas, utraque enim sanitas ab » illo est, animæ et corporis. » S. Basilii pariter in quadam Epistola punctum hoc tangit immortalitatis, cujus panem hunc celestem dicit esse instrumentum. « Quis jam dubitabit, » inquit, « quin » vitam frequentius participare, non sit aliud omnino quam frequenter vivere. » Quibus verbis hoc Sacramentum indignitatis. Sicut enim ad sustentandam vitam corporealem, necessarius est cibus, ita quoque ad spirituales animæ vitam conservandam, cibi Eucharistici urget necessitas.

VERBUS 19.

Et surgens Jesus, sequatur eum, et discipuli ejus.

Et surgens Jesus.

1. — Non differt ne quidem momento, sed mox invocatus in subsidium nostrum occurrit; unde apud Isaiam, LVIII, 9, Deus dicit: *Adhuc te loquente, ecce adsum;* quæ verba Chrysostomus, *Hon. lxx in Matth.,* exponit, dicens: « Non exspecto, ut » orationem finias, sed confestim cum incipies, » exaudio; » vox *surgens* Christi ad vitam defunctæ restituendam indicat promptitudinem et sollicitudinem. Dionysius Carthusianus Christum a prandio surrexisse credit, cui in domo Matthæi Publicani accubens, ad multarum anhelat animarum conversionem: « Surgens a domo Matthæi, in qua » cum Publicanis comedit. » S. Bonaventura facilitatem, quæ Principem nunc exaudivit, aliquatenus ejusdem Principis meritis attribuit: « Quoniam, » inquit, « Christi præsentiam adit cum reverentia, » rogavit ex confidentia, desideravit ex indigentia, » ideo oratio ejus fuit exaudita. »

2. — Chrysostomus ab Hugone citatus ait: « Vidit, ex qua domo exivit, scilicet Publicani, et » ideo sperat; » quia enim unico tantum obtutu, Publicanum in Apostolum converterat, longe magis futurum sperabat, ut per manuum suarum impositionem, vitam corporealem illi restitueret.

3. — Didaeus Stella ex voce *surgens* hanc pro Prælati elicet moralitatem: « Surrexit ut iret, quia » sedebat; hoc enim opus et labor boni Prælati » est, ut scilicet ad subditorum bonum surgat, » sedemque suam et quietem relinquat; non sic

« faciunt Prælati, otio et inertie vacantes, nec tantillum voluptatis, propter subditi utilitatem relinquentes. » S. Matthæus Christum tunc populo predicasse dicit: « Quo facto docerunt, orationem et vitam contemplativam, ut proximis periclitantibus et afflictis subveniamus relinquere ad tempus. »

Sequebatur eum.

4. — Jansenius hujus Principis fidem imperfectam et defectuosam fuisse, ex duobus capitibus considerat; porro quia pro filie vita corporalem Christi presentiam petebat, dicens: *Veni*. Secundo, quia manus ejus cadaveri filie imponi rogabat, dicens: *Impone manum tuam*. « Tamen, » inquit, « quia pro tempore illo, satis magna illa erat de Domino fides, non rejicit eam Dominus, sed « obsequi volens sequebatur eum; » ex quo pro nobis hoc eruit documentum: « Hæc autem Domini « facilitas docet, nihil frustra ab eo orari posse, « quod quidem orantibus bonum sit, et imperfectiones nostras illum benigne tolerare, ac docere « item nos, qui Christi esse volumus, ut pari « facilitate omnibus simus exorabiles. »

5. — Didacus Stella Salvatorem ædes Principis adire videns, nos monet, ne ejus exemplo, ad frequentandas Magnatum ædes faciles evadamus: « Discamus, non facile domos Principum et Magnatum ingredi, quandoquidem Christus non nisi « rogatus, et ob ingens bonum spirituale, populi « que edificationem, domum Archisynagogi intra « vit. »

6. — Adimplevit in præsentem Dominus illud Ecclesiastici, iv, 4, monitum: *Rogationem contribulati ne abicias*; compassus namque patris et totius familie afflictioni, in propria persona comparere statuit, licet vel unico solo voluntatis actu, procul distans, miraculose sanitatem conferre potuisset; ut nos doceret, in persona propria, tam corporales quam spirituales proximorum miseras, non gratae visitare et sublevare. Unde S. Hieronymus ait: « Miranda pariter atque imitanda Domini humilitas « et mansuetudo, nam mox, ut rogatus est, rogantem cepit sequi. » Notandum vero, nihil Christum Principi huic respondisse, prout Centurioni fecit, dicendo: *Ego veniam et curabo eum*; nihilominus, ut idem Auctor bene advertit, Christus hic non per verba sed per facta respondit. Salmeron quoque ait: « Non diligit Dominus verbo et lingua, « sed opere et veritate, et promptum se exhibet « ad beneficiendum etiam his, qui se oderunt, » sicuti, ut diximus, hi Principes Synagogæ Christum persequebantur; nihilominus modo ostendere voluit, nullam sibi permittere dominari passionem humanam, sed omnibus se injuriis superiores esse, pro malo bonum reddendo.

Additiones.

a. — *Et surgens Jesus sequebatur eum*. Quando quis in propositis sibi preces facile condescendit, eum tractabilem esse dicere solemus. Vere igitur a nobis tractabilis, et ad nostrum commodum flexibilis est Deus, qui tam facile in orationes nostras inclinatur. Unde D. Chrysostomus exclamat: « O « Dei benignitatem, qui cum Patre sursum sedet, « in illo ipso temporis articulo, omnium manibus « pertractatur! » Et quidem ut illum pro arbitrio nostro contraetare valeamus, oblineamusque ab eo quod nobis placet, sub accidentibus, seu velo specierum sacramentalium in Eucharistia delitescit, non solum ut nobis sit tanto vicinior, verum etiam ut ad audiendum et exaudiendum nos tanto sit facilius et promptior. Ad Magnatum penetralia non cuivis aditus patet; homines enim viles et abjecti illic non admittuntur. Non vero sic in curia coelesti, nam teste Propheta regio, *Psal. xxi, 15: Non spernit faciem suam*. Enimvero, prout quotidie videmus, Principes et Magnates non quovis die, aut qualibet hora dant audientiam, aut signaturam gratiæ institunt, sed loco et tempore opportuno, non vero pro libito et arbitrio nostro. Apud Deum vero, ut suo loco videbimus, nullum est momentum, nullus est locus, in quo non die et nocte, et in quavis occasione, audientiam nobis præbeat nostrasque supplicationes favorabilibus subsignet rescriptis. Porro nonnunquam homines inveniuntur adeo timidi et meticulosi, ut ad postulandum gratias, suasque exponendum necessitates, in conspectu Principis prodere non audeant; at vero sola oratio hoc timore caret, et audacter, et confidenter, tanquamque familiaris et domestica Dei ad eum ingreditur. Hinc dicitur: *Intret in conspectu tuo oratio mea; inclina aurem tuam ad preces meas*.

Salvator noster apud S. Lucam xi, 5, immediate post traditam orationem Dominicam, sequentem adducit similitudinem: *Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte, et dicet illi: Amice, comoda mihi tres panes, etc.* Et tandem his verbis concludit: *Et ego dico vobis: Petite et accipietis*. Ubi S. Petrus Chrysologus exclamat, dicens: « O quam « dure vult qui se inquietari taliter, taliter patitur « suscitari! O quam pulsanti iste gestivit occurrere, « qui sic secreti sui cubile, ipsam collocavit ad « janam! O quam negare noluit, qui sibi etiam « neganti qualiter extorqueretur, ostendit! »

b. — Ubi primum Jairus accessit ad Christum, sine ulla dilatione, cum eo Dominus pergit in domum suam. Rupertus, *lib. X in Joan.*, componit cum hac celeritate quam Dominus hic prestitit, ad suscitandam puellam, moram illam quam traxit post annuntiatam Lazari infirmitatem. « Quare, » inquit Rupertus, « mansit in eodem loco duobus

« diebus? Uti que idcirco ut, eo retardante, more- « retur. Non enim volebat languidum illum sanare, « sed sicut Archisynagogi filiam resuscitare. » Audita morte adolescentule, festinat Dominus eam resuscitare; cognita infirmitate Lazari, duobus diebus tardat. Sed cur hoc? « Expende textum, » inquit Rupertus, « Jesus Lazarum diligebat. Ut ergo audi- « vit quod infirmabatur, tunc mansit duobus die- « bus. » Tardatur in illo loco, ut fieret manifestum, quia egre et difficile vitam istam, ac temporalia bona, dilecto amico suo ac justo præstabat, cum illa a Deo non seducant. Salomon postquam post mortem Davidis patris sui ad regnum Israel assumptus fuit, Deus illum nocte quadam visione et apparitione quadam divina dignatus est, *III Reg., iii, 5: Apparuit Dominus Salomoni, per somnium, nocte dicens: Postula quod vis ut dem tibi; cumque Salomon a Deo sapientiam, ad populum suum recte gubernandam, petisset, dixit illi Deus: Dedi tibi cor sapiens et intelligens in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit; sed et hæc quæ non postulasti dedi tibi, divitias scilicet et gloriam, ut nemo fuerit similis tui in regibus, cunctis retro diebus*. Quod et vere ac realiter præstitit, nam in capite x ejusdem libri legitur: *Fecit ut tanta esset abundantia auri in Jerusalem, quanta et lapidum*. Sciendum est autem quod Salomon thesauros et divitias minime desideravit, sed satisfactum sibi fore dixerit, si quod ad nudam corporis sustentationem requirunt, Deus illi largiretur, prout ex ipsiusmet Dei testimonio et propria Salomonis protestatione clare satis constat; similiter non obstante quod tanta sapientia infusa et superhumana a Deo exornatus fuerit, sibi tamen in humane felicitatis culmine positus temperare non potuerit, quin potius tarpitur adeo ceciderit, et naufragus fuerit, ut S. Gregorius id considerans, exclamare coactus fuerit, dixerique: « Quis ergo opes, quis potestas, quis gloriam querat innoxie, si hæc illi « extiterunt noxia, qui hæc habuit non quesita? »

c. — Postulat regulus ut Dominus vadat in domum suam, ad sanandum filium; ipsum Christus reprehendit, quod ejus presentiam corporalem requirit. At dum Archisynagogus petit adventum Domini in domum suam, ad filium suscitandam, Christus cum illo pergit et minime eum increpat. Ratio diversitatis est. Erat enim iste Princeps synagogæ et Sacerdos: ergo ob ecclesiasticam dignitatem fuit venerandus, et non publice arguendus, ac increpandus. S. Ephrem de Sacerdotio scribens, suadet ne quispiam debitum Sacerdotibus obsequium et reverentiam detrectet, eo quod an tali honore digni sint, ignoret; quia ad hoc respiciendum non est, sed ad Deum, qui Sacerdotes honorandos esse præcepit. Dicit enim: « Quod si « de illo qui Sacerdos est, ignoras dignusne, « an indignus sit tanta sublimitate; tu ob præcep-

« tum ipsius Christi, eum non despexeris. » Honor quem Sacerdotibus exhibemus, inquit D. Chrysostomus, a Deo eodem prorsus habetur in pretio, quam si sibiimptipso exhibitis fuisset. « An nescitis, » inquit, « quod honor ad Deum ipsum transiit? Ne « igitur respicias eum, cui honor confertur; non « enim propter illum debes, quod tum est facere, « sed propter illum, ejus Sacerdos est, ut ab illo « retributiones uberim accipias. » Basilius imperator, Leonem filium suum exhortans ad honorem, et obedientiam Ecclesie, ejusque ministris exhibendam, ita loquitur: « Honor enim qui Sacerdotibus « habetur, ad Deum refertur; et sicut propter te « ministros tuos in honore habere justum est, ita « et te, propter Deum, Sacerdotes ejus magnificare « et in pretio habere sanctum. »

S. Thomas quoque, ad præsenes propositum, aptissimum habet doctrinam, dum ita scribit, *II, II, q. lxxii, art. 3*: « Sciendum, quod aliquis potest « honorari, non solum propter virtutem propriam, « sed etiam propter virtutem alterius, sicut Prin- « cipes et Prælati honorantur, etiamsi sint mali, in « quantum gerant personam Dei, et communitatis « cui præficiuntur. » S. Ephrem ad hoc valde idoneam in medium adducit similitudinem, dum ait: « Elenim sicut fulgentissimum aurum, licet « luto contaminatum, non percipit detrimentum, « neque speciosissima margarita, ex contactu qua- « rumdam immundarum specierum; ad eandem « modum, nec Sacerdotium ab ullo sordidum red- « ditur, quantumvis etiam indignus sit is qui illud « suscipit. » Quando coram Sacerdote nos inclinamus, vel honorem ei et reverentiam exhibemus, id gradui et dignitati Sacerdotali præstamus, non personæ. Crux adoratur, non quia argentea est vel aurea, sed quia illam, in qua Filius Dei confixus fuit, representat.

d. — Cur hunc Archisynagogum secutus sit Jesus, ratio esse potest, quod hic Archisynagogus fuerit de numero eorum, qui maxime Christum adversabantur, et multis injuriis afficiebant; et ita de quodam dicitur a S. Luca, *xii, 14: Respondens autem Archisynagogus, indignans quod sabbato curasset Jesus*. Ergo cum Jairus venisset ad Christum, non erat dure arguendus, sed benigne acceptandus. Magni enim animi est, eos, qui aliquando nos injuria affecerunt, benigne alloqui. Sapiens modum incendium iræ, et excaulescentiæ nostræ contra injuriantem sopiendi, in verbis mitibus, benignis et humilibus consistere docet, dum ait, *Prov., xv, 1: Responsio mollis frangat iram, sermo durus suscitât furorem*. Inter alias a S. Augustino Monachis suis præscriptas regulas hæc quoque legitur: « A verbis « durioribus parcite; quæ si emissa fuerint ex ore « vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medica- « menta, unde facta sunt vulnera. » Hoc autem medicamentum lenitrum esse debet, id est, mitis

quædam et benigna responsio. Hugo Cardinalis factum quoddam refert, quod etiam diversis circumstantiis a Dionysio Carthusiano narratur; ambo vero historiam hanc ex vitis Patrum desumpserunt. Cum enim Abbas quidam, Monachum quemdam juxta morem ad civitatem misisset, ut necessariam monasterio provisionem compararet, in proscriptum quemdam hominem incidens, zelo quodam, non tamen secundum scientiam moderato abreptus, eumdem interrogavit, dicens: Quo vadis, dæmon? ille respondit: Tu experieris me esse dæmonem; et extracto gladio occidit eum. Abbas vero a quo prædictus Monachus missus fuerat, eidem latroni obvius factus, amicaliter eumdem salutavit: « Quem raptorem iterum Abbas inveniens, » inquit historia, « dixit ei: Salve frater; et ille respondit: « Non frater tuus, sed frater dæmonum sum; et secutus Abbatem, factus est Monachus. » Circa quam historiam S. Hieronymus ait: « Vide quid « lenitas sermonis fecerit et quid austeritas. »

e. — *Surgens Jesus*, nempe a prandio, in quo erat in convivio Matthæi, *sequebatur eum*. Mira Christi Domini pietas, ac humilitas, *sequebatur eum*, ejus petitioni mox annuens. Et non legitur, quod dixerit ei aliquid verbum: nam optima responsio et præcipue afflicto, non verbis, sed operibus componitur. Postulat regulas, ut Dominus vadat in domum suam ad sanandum filium, nec exauditur; at dum Archisynagogus petit adventum Domini in domum suam ad filium suscitandum, Christus cum eo pergit. Quid est in domo Jairi, quod Dominum trahit? An familie concursus? An astantium pompa? An auri ornatus, an plena mensæ, pretiosæ dapes, senescentia vina? Absit. In tota Archisynagogi domo, nihil aliud esse memoratur, quam mortua puella. Et super hanc suspiria et lacrymæ. In domo Principis, non vina sed lacrymæ fundebantur, turbabat ibi familiam, non cura convivi, sed cura mortuæ. Ideo festinus sequitur Jesus; tribulatio enim habet aliquid divini, et ideo Christus animas afflictas amplexatur, et cum iisdem conversatur.

Gerson allegando discursum, quem instituerunt sex Magistri theologiae in laudem tribulationis, refert dictum unius, qui fuit quartus: « Adoramus « crucem, eo quod Salvator noster Jesus eam plus « quam triginta annis pertulit. » Non est quod respiciamus duntaxat crucem constitutam in monte Calvarie, quia quamprimum incarnatus fuit in Maria Virgine, amplexatus fuit tribulationem, tanquam dilectissimam suam sponsam. Unde ubi nostra Vulgata legit: *In laboribus a juventute mea*, habent alie versiones, *moribundus, expirans, agonizans a puero*. Guericus Abbas, dignus S. Bernardi discipulus, *Serm. in de Annunt.*, scribit: « Omnium « tamen humanarum infirmitatum, vel injuriarum, « quas pros nobis pertulit divina dignatio, sicut « tempore primam, sic etiam humilitate per maxi-

« mam existimo, quod in utero concipi, et in utero « novem mensium tempore, Majestas illa circum- « scripta passa est contineri. Ubi enim sic se « exinanivit, aut quando penitus a semetipso ita « defecisse visus est? » Quamprimum descendit in terram, quenam fuit prima infinitæ illius sapientie et omnipotentie expeditio? Non statim plantavit Ecclesiam, neque populum ad cultum divinum reduxit; non destruxit idololatriam; non principes tenebrarum dejecit e sua tyrannide, neque subito genus humanum redemit; sed ante omnia amplexatus est crucem, et tribulationem per novem menses in utero materno, deinde editus in lucem, amplexatus est pauperatam, nuditatem, fetorem et angustiam stabuli: *Reclinavit eum in præsepito*; idque hunc in finem, ut in sua persona sanctificaret tribulationem. A quo tempore Filius Dei, qui erat impassibilis, nostra passibilis se vestivit carne, ac sic subjacere voluit siti, fami, frigori, lassitudini, paupertati, opprobriis, cunctisque aliis adversitatibus, quas suo exemplo et predicatione sanctificavit, cuncti deinde fideles, præsertim qui in primis vixere sæculis, felices ac fortunatos se existimabant, quotiescumque capiti suo se conformare poterant.

VERSUS 20.

Ecce mulier, quæ sanguis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro et tetigit fimbriam vestimenti ejus.

Et ecce mulier.

1. — Lyranus causam reddit, cur Dominus domum Jairi, filiam ejus resuscitatur, adeundo miraculum istud in itinere patrare voluerit, id enim factum esse dicit: « Duplici de causa. Prima « fuit, ut ostenderet nobis, quod non solum in « termino, sed in via debemus bonis operibus « occupari; secunda fuit, ut per miraculum certum « in via Archisynagogus hoc videns, certificaretur « de suscitatione filie sue in termino. »

2. — Toletus, in *Luc.*, in hoc miraculo expressam quandam gentilitatis figuram examinans, ita discurret: Dum Filius Dei in itinere esset ut Archisynagogi, cujus deprecatio ab eo exaudita erat, filiam resuscitaret, Hemorrhœissa Salvatrici in itinere ex obliquo occurrens, per receptum salutis sue beneficium, illius resuscitationem prævenit, qua in re juxta mentem SS. Ambrosii, Hieronymi et Hilarii, id quod Judæos et Gentiles inter accidit, denotatum fuit: « Cum enim illi prius essent ad « populum Dei vocati, » dicit Cardinalis verba sunt, « eisque promissa salus; veniente Christo, plenitudo « Gentium, per fidem prior ad Ecclesiam accessit, « postquam Judæorum plenitudo accedet, juxta « illud, *Rom.*, xi, 25: *Cum intraverit plenitudo « Gentium, tunc Israel salvus fiet*, quod Psalmo

« *LXXVII*, 32, prædictum erat: *Ethiopia præveniet « manus ejus Deo*. Mulier igitur Gentium nationes, « filia vero Archisynagogi Judæorum populum « significat. » Estque considerabilis illa duodecim annorum in duabus hisce feminis circumstantia, quarum una se tenet ex parte ætatis; altera vero ex parte infirmitatis fluxus sanguinis; nam ut Glossa ait: « Duodenis annis fluxit, sicut et illa filia « creverat duodenis, quia ex quo Synagoga cepit « Deo famulari, cepit gentilitas idololatria et pec- « cato pollui. »

3. — Porro Hemorrhœissa, quæ juxta Eusebium Gentilis erat, gentilitatem merito præfigurabat, quæ, ut ait Jansenius, duplici ex capite, sanguinis fluxu laborabat: « Recte, » inquit, « gentium « populus significatur, in quo sanguinis fluxus « dupliciter, secundum Bedam, potest intelligi, « scilicet vel super idololatriæ prostitutione, vel « super his, quæ carnis et sanguinis oblectatione « patrantur. » Lyranus quoque ad sanguinem a tot martyribus effusum se reflectit, quod Imperatorum, fidei Christianæ principio se opponentium, tempore contigit: « Fœdata fuit, » inquit, « effusione san- « guinis martyrum, temporibus duodecim Aposto- « lorum: hæc autem mulier fimbriam vestimenti « Christi tetigit, quando Christianam fidem inear- « nationis credidit, et alii Gentiles ejus exemplo; « humanitas enim divinitatis vestimentum est in « Christo, tunc autem a fluxu sanguinis sanata fuit, « quia fundere sanguinem catholicum cessavit. » Glossa quoque alios Evangelistas dixisse notat, quod mulier hæc omnes suas facultates irritò licet, effectum, in medicos erogavit: « Quia quanto magis « gentilitas vires naturales industria ad philosophos « expendit, qui recte videndi præcepta omnibus « se dare promittebant, tanto minus poterat a « sordibus liberari; sed ubi celestem medicum « cognovit adesse, cepit remedium sperare et « querere. »

4. — Albertus Magnus S. Hieronymi testimonio innixus, piam hanc mulierem mox, ut a malo suo convulsi, benefactori suo se gratam prestitisse scribit, dicens: « Devotissima ad Christum reman- « sit, et in horto suo imaginem ad figuram Christi « construxit, et hanc simili vestimento vestivit, « juxta quam quædam herba in horto similem « virtutem curandi fluxum sanguinis habens, nata « fuit; et quando vestimentum herba crescendo « attingit, tunc perfectam virtutem curandi herba « accepit. » Eusebius quoque Cæsariensis, a Glossa citatus, ita scribit: « Ante fores hujus mulieris, « accepimus æream hujus imaginem, in genu « inclinatam, expansis apte manibus, supplicanti « similem conspici, e regione autem illius alteram « ex eadem materia, viri rectam effigiem stare, « decora diploide indutam, manumque suam illi « protendentem, hujus ad pedes peregrinum quod-

« dam herbe genus nascitur, quod cum ad diplo- « dis oram ascenderit, omnium morborum medi- « camentum existit, quam quidem statum Domini « Jesu dicitur imaginem exprimere; mansit autem « ad nostram usque ætatem. » Ecce tibi hujusce mulieris Deo per tantam gratiarum actionis multipliciter, in Deum relatum gratitudinem, ut vel inde intelligamus agnitionem beneficiorum, quæ a divina ejus manu recipimus, perennem quandam esse continuorum favorum et gratiarum fontem. S. Lucas dicit: *In medicos erogaverat omnem substantiam suam*; ubi quæri posset, unde hæc mulier ad hocce sumptus faciendos facultates desumpserit? sed facilis est responsio, quia illi, qui Deo grati existunt, nunquam in penuria vivunt, nec unquam ab eo deseruntur, imò nullam prorsus experiantur pauperatam.

Quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis.

5. — Albertus Magnus super Lucam scribens, hujus morbi gravitatem quater ex circumstantiis ponderat dicens: « Describitur magnitudo infirmi- « tatis a quatuor: a specie ægritudinis, ab antiqui- « tate, a sumptibus, quos faceret in medicos, et ab « incurabilitate. » S. Lucas ait: *In medicos erogaverat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari*. S. Marcus ait: *Fuerat multo perperosa a compluribus medicis, et erogaverat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat*; ac proinde illos designat, qui per longum annorum decursum, sensum et inordinatum appetituum suorum desideria sequuntur, faciuntque quod possunt, ut ad perverfos fines suos peringere valeant, tandem vero frustra se laborare videntes, ad Deum se recipiunt, qui adeo est misericors ut eos ad se venientes benignissime recipiat; hi qui ultima hora in vineam laboratum venerant æquali cum aliis mercede a patrefamilias sunt remunerati, ut per hoc intelligeremus, veram quandam penitentiam ex corde profectam, qua ad divinam pietatem confugimus, omnia delere peccata proia.

6. — Hæc mulier a Christo se abscondebat, ne ab eo observaretur: « Quia ægritudo hæc, » inquit Chrysostomus, « magna immundities secundum « legem judicabatur. Prima hæc mulier publice « accedere ausa est, quoniam feminas quoque « ipsum curari jam audivit et quoniam ad filiolam « Archisynagogi mortuam proficisci conspicebat; « ad domum vero suam, licet opulenta, nihilo- « minus non est ausa vocare; » ejus tametsi nullam rationem reddat, credibile tamen est, motum ejus fuisse, se velut immundam, indignam se existimasse, quam ille reciperet, qui *condor lucis æternæ* vocatur. Salmeron per huic sanguinis fluxum, vitium carnis intelligit, quod eum, quem afficit, multis subjicit molestiis: « Hæc mulier, » ait, « multa est perperosa, quia multa sustinet

« peccatores, maxime vero adulteri, concubinari; « perferunt enim amara verba, duriora facta, cor- « poris molestias, concitatem mentis, damna rerum « suarum, odia hominum, famæ dispendium; item « erogaverat omnia sua pro voluptate carnis cap- « tanda, nempe etatem, decorem, vigorem. »

7. — S. Thomas in sermone super hanc Domini- « cam per fluxum sanguinis, peccatorem in generi « intelligit: « Peccator, » inquit, « patitur fluxum « sanguinis tribus modis; primo, per nimium amo- « rem consanguineorum; secundo, propter fluxum « carnalium delectationum; tertio, propter opera- « tionem quorumlibet peccatorum. »

8. — Hæc mulier per duodecim annos, nunquam « ad Deum confugerat, sed potius omnia sua in re- « media humana expendere, in qua proinde dispen- « dium et cura clare videtur, quam major pars homi- « num in salute corporali promovenda patitur; nullus « est sumptus adeo magnus, qui eo fine non fiat, « nullum est, quod tenetur remedium: at quam « parum de salute animæ cogitatur; quam pauci ad « Deum confugiunt et tamen ab hoc solo salus repor- « tatur; idque in instanti: *Si tetigero fimbriam vesti- « menti ejus, salva ero.*

Accessit.

9. — At vero quomodo Christum accedere præ- « sumpsit, quando accessus ille in lege prohibebatur? « Chrysológus, *Serm. lxxviii*, ait: « In carnalibus lan- « guoribus dat crebro consilium vis doloris, in « desperatis causis est sæpe magistra necessitas, « invenit ipsa sibi passio medicinam; » ac proinde « peccator, licet desperatus sit et immundus, genero- « sum induat animum, sollicite penetret ad Salvato- « rem, magnaque cum fiducia cum Psal. dicat: « *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ;* non « diffidat de divina ejus pietate, cum ipse Dei Filius « dicat: *Non veni vocare justos, sed peccatores.* S. Tho- « mas de hac infirma ita scribit: « Intellexit celestem « adesse medicinam, in ea totam suam intentionem « collocavit et ideo salvari promeruit. »

10. — S. Bonaventura, in *Luc.*, super verbum « accessit, ita scribit: « Accessit quia credidit, credere « enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et in- « quiritibus se remanerator est. *Hebr.*, xi, 6. »

Retro.

11. — Extremitatem vestis Christi, actualiter « itinerantis, tetigit, eoque sine profunde se inclina- « vit, quod si in parte interiori fecisset, et Christi « gressum impediisset, et cum timore, ne velut im- « munda repelleretur, seipsam manifestasset: « Ac- « cessit ergo a tergo, » ut ait Lucas Brugensis, « ut « enim non accederet palam, rogaretque ut Archi- « synagogus, obstatat tum pudor, tum metus; « pudor sexus ob morbi fœditatem; metus, ne a « turba cui se admiscuerat, abiceretur, quippe

« lege immunda et contagiosa. » Idem et Toletus « hisce notat verbis: « Non est ausa palam Christum « accedere, sed latenter et retro, quia secundum « legem, immundam se esse sciebat, timebatque « ne a Christo repelleretur, nondum enim perfecte « de Christo sentiebat, quem se latere posse existi- « mabat; » cognoscebat quidem, aliud se non ha- « bere salutis suæ refugium, quam apud divinum « hunc protomedicum; ex alia vero parte immundam « se esse sciens, indignamque, quæ coram eo com- « pareret, se aestimans, debitum ei respectum et reve- « rentiam exhibere voluit. Retro ipsum se collo- « cando, salutemque, si posset, rapiendo; nam ut « Chrysológus, *Serm. xxxiv*, ait: « Agebat mulier, ut « sibi et rediret sanitas et verecundia non periret. »

12. — S. Thomas in *Matthæum* ita scribit: « Quare, retro? quia immunda reputabatur; mystice « hoc significat gentilitatem, quæ accessit per fidem, « sed retro, quia non ipso vivente; item tetigit ves- « timentum, scilicet humanitatem, sed solam *fim- « briam*, quia per Apostolos tantum. »

13. — Didacus Stella hunc actum notitiæ tri- « buit, quam de indignitate sua habebat, agnoscentes, se « non mereri, quæ Christi oculis objiceretur: « In- « dignam se judicavit, quam Christus intraretur. » « Magdalena quoque, quæ tot annis alium deterio- « rem longe sanguinis fluxum perpessa fuerat: *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix;* etiam « retro Christum se collocavit: *Stans retro secus pedes « ejus;* ubi Chrysológus, *Serm. xciii*, ait: « Quia reus « animus post tergum stat ad veniam, quia per « culpam novit, se vultus fiduciam perdidisse. »

14. — Gregorius de eadem Magdalena scribens, « *lib. V in lib. Reg.*, ait: « Peccatores mala com- « mittunt, a facie Domini confugiunt, » quia ut « David ait, *Psal. xxxiii*, 17: *Vultus autem Domini « super facientes mala, ut perdat de terra memoriam « eorum.* Et subdit idem Sanctus: « Sed cum redire « penitendo deliberant, quasi post tergum Domini « sunt, quia et discedere longius nolunt, et tamen « præsumere de Deo quasi amici non possunt; « hinc est quod peccatrix mulier retro stitisse « dicitur. » Hæc Hemorrhœisa per infirmitatem « suam, quæ detinebatur, animam peccatis immersam « significat, quæ respiciens ad divinam pietatem re- « currit et retro se collocat, ut Paulus de Palatio ait: « Quia non justificabitur in conspectu ejus omnis « vivens. »

Et tetigit.

15. — Glossa Interlinearis ait: « Tetigit manu « fidei. » Didacus Stella dicit: « Derelicta a medicis « sæculi, ad medicum celestem confugit; ita eos, « qui mundum relinquunt, Deus suscipit. »

16. — In *Levitico*, xv, 19, Deus populo suo tale « dedit præceptum: *Mulier quæ patitur fluxum san- « guinis, septem diebus separabitur; omnis qui tetigerit*

eum, immundus erit usque ad vesperum; ideoque « qua ratione mulier hæc, legem istam violando, « Christum tangere presumpsit? Responderi potest, « quod vivæ fidei luce illustrata, Christum instar « solis, maculam contrahere non posse intellexit, quia « licet radios suos super terræ sordes immitteret, ab iis « tamen minime coquinatur, sed ut ipsum Deum, quem « nulla spurcitia pollui posse presumpserat. » Clari- « us autem ad lucem alludens Chrysológus ait: « Nam si sol tangit stercorea, non tamen stercoribus « inquinatur, quanto magis Creator solis tangit « omnia et tamen non potest ullis contactibus coin- « quinari. »

Fimbriam vestimenti ejus.

17. — Lyranus Christum quoque vestes secun- « dum usum judaicum portasse notat; voluit namque « Deus, ut populus ille, ex quo Messias nasciturus « erat, extrinsecus quoque sanctitatem præferret, « ab aliis populis distinctam, per quam ab aliis dis- « cerneretur; ac proinde data fuit illi circumcisio, « velut signum distinctivum in corpore, leges quoque « assignatæ et modi speciales in victu: « Similiter « præceptum fuit eis in habitu distingui, ut patet, « *Num.*, xv: *Loquere filiis Israel, ut faciant sibi fim- « brias per quatuor angulos palliorum, ponentes in eis « vittas hyacinthinas;* vittæ enim hyacinthinae, quæ « erant celestis coloris, designabant, quod debe- « bant habere conversationem eminentem præ cæ- « teris, secundum quod Paulus dicit: *Nostra autem « conversatio in cælis est,* unde sequitur ibidem: « *Ut recordentur mandatorum Dei, et sint sancti « Domino Deo suo;* talem ergo vestem portabat « Christus, sicut et alia legalia observavit usque ad « passionem; et ideo mulier tetigit fimbriam, quia « illud, quod est in angulo pallii, quod est a parte « posteriori, facilius potest attingi; » notandum est « autem, quod vestimentum ejus non tetigit, sic enim « manus ejus facile sentiri potuisset, sed extremita- « tem illius, cujus non ita facile tactus sentitur; unde « divina Christi virtus magis eluxit, quando tactum « sensui imperceptibilem, mulieri proficuum reddidit, « tunc præcipue quando ab ingenti turbæ illum com- « primentis copia cinctus erat.

18. — Toletus, in *Lucan*, sequens movet dubi- « tum, cur scilicet hæc mulier non directe Salva- « torem aut vestes tetigerit, sed solam fimbriam? « cujus quatuor rationes adducit; prima est in ordine « ad cultum divinum, quia ut ex *Numer.*, xv, colligitur, « fimbriæ illi populo a Deo præceptæ fuerant, tanquam « signa religionis, quas proinde illi soli « portabant, qui cultus veri Dei professores erant,

unde et Pharisæi, qui cæteris se aestimabant sanctio- « res, *magnificabant fimbrias;* cum igitur hæc « mulier etiamnum in fide imperfecta esset, se per « illius fimbriæ tactum, Christi virtutem magis partici- « paturam credebat. Secunda ratio est ob reverentiam, « quam erga eum in hoc tactu protestabatur, « Toletus enim probabile censet, quod etiam Christi « tempore, dum quis celebris sanctitatis nomine con- « spicius erat, vestium ejus contactus a concurren- « tibus devotis, certatim quaesitus fuerit, quod ex « *cap. viii, vers. 23, Zacharie* colligit, ubi dicitur: « *Approperant fimbriam viri Judæi;* præterquam « quod S. *Matthæus* dicit: *Rogabant eum, ut vel « fimbriam vestimenti ejus tangerent et quicumque « tetigerunt, salvi facti sunt.* Tertium motum infir- « mæ fuit humilitas: « Indignam enim se judicans, « quæ vestimentum tangeret, ad extremitatem « vestimenti manum porrexit; » quemadmodum « S. Joannes Baptista ex humilitate, indignum se, « qui corrigiam calceamentorum Christi soleret, ju- « dicavit. « Quarta causa, quæ accommodatior vide- « tur, ea fuit, ut minus sentiretur ejus tactus a « Christo, cum enim latenter accedere vellet, eam « tetigit partem, cujus tactus percipi minus po- « terat, qualis est fimbria, quæ non tam pars vesti- « menti, quam assuta et adjecta vestimento est; « fuit autem id ex divina providentia dispositum, ut « tanto magis Christi divinitas ostenderetur, quando « tactum, sensibus minus perceptibilem, etiam con- « primentibus turbis, distinctus percipit. »

19. — Sensum vero spirituales fimbriæ con- « siderando, per eam sacrosanctum Christi corpus in- « terpretari possumus. S. Antonius Paduanus proinde « ait: « Vestimenta Christi ipsius est caro, de qua « dicitur: *Quare rubrum est indumentum tuum?* « Jesus torcular, id est, pressuram crucis solus « sustinuit, in quo vestimentum sanguine rubrica- « vit; hujus vestimenti fimbria est ipsa passio, quæ « animam liberat a peccato sanguinis profluvio; « contra enim carnis vitia summe valet memoria « passionis Christi. » S. Bonaventura eandem con- « siderationem habet, dum per fluxum sanguinis « animam, peccato carnali immersam intelligit: « Felici, » inquit, « fructu attingit fimbriam Jesu, et « statim stetit in illa fluxus carnalis illecebræ, car- « nalis delectationis. » Salmeron ut in hac Christi « veste, Eucharistiæ Sacramentum præfigurari osten- « dit, congruentias aliquas adducens, ait: « Edoceamur « de tangenda fimbria vestimenti, id est, humani- « tatis Christi, cujus fimbria sacrosancta Eucha- « ristia est, cujus accidentia ut vestes, corpus « Christi tegunt; hæc enim est fimbria, posita in « extremo corporis Christi, quia hic fuit ultimus « actus Domini in Coena; estque fimbria hyacinthina « coloris celestis, ut cognoscamus panem esse vi- « tum, qui de celo descendit et vitam celestem « efficere. » Chrysológus frequentem divini hujus

usum commendans Sacramenti, multorum deflet miseriam, qui propria culpa medicinam in venenum convertunt: « Audiant, » inquit, « Christiani, » qui quotidie corpus Christi attingunt, quamnam « de ipso corpore possunt sumere medicinam, » quando mulier totam rapuit de sola Christi fimbria, sanitatem, sed quod nobis flendum est, « mulier de vulnere medicinam tollit, nobis medicina ipsa retorqueretur in vulnus, » dum igitur sacrum Christi corpus per linguam nostram transit, rogandus nobis est Deus, ut tot maledicorum, obscenorum et injuriosorum verborum fluxum sistere dignetur, dum fauces nostras ingreditur, ut gulam reprimat, nostramque refrenet intemperantiam, dum in pectus usque descendit, ut tot inordinatorum appetitum sanguinem coarceat. Chrysostomus quoque, *Hom. 11 in Matth.*, ad Sacramentum Altaris alludens, dicit: « Tangamus et nos fimbriam vestimenti ejus, imo vero totum ipsum, imo si volumus, non vestis solum, sed corpus ipsum nobis propositum est, ut non tangamus solummodo, sed comedamus et saturemur; edamus igitur Christum ægrotantes cum fide, nam si, qui fimbriam vestimenti ejus tunc tetigerunt, recte omnes convalescerunt, quanto magis corroborabimur, » si totum in nobis habebimus? » hoc unum ad omnes spirituales infirmitates nostras curandas sufficit; nam ut S. Prosper de hoc divino pane scribens, ait: « Lethalem omnium vitiorum digerit crudelitatem. »

Additiones.

a. — Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur accessit retro, etc. Christus ad Archisynagogi filium dum iret, ecce femina cruentæ, longæque passionis desperata, venit ad medicam, non obsecrans, non gemens, sed tacens, abstulit quod querebat. Medici se catervis vehementer inseruit, parvam saltem desiderans summitatem Domini contingere vestimenti, latensque posterior, ab extrema pendens ora facinæ, furtivam subito rapuit sospitalem. Adsit hic superbus Pharisæus et justas quas ut putavit, de Magdalena, hic de immunda femina que putatur Veronica, subnectat querelas; repellat a contactu Domini vestimenti, qui a pedibus repellere nitiebatur peccatricem. Hæc interim Hemorrhœissa, non ut supersticiosa, a Christo repellitur, quod cogitaverit se vel tactu vestimenti ejus salvam fore. Hoc enim modo docuit antiquam sanctorum Reliquiarum venerationem. Per hanc devotam Hemorrhœissam, que sanguinis profluvii afflictabatur, anhelansque accedebat ad contactum vestimentorum Christi Lyranus intelligit Ecclesiam, utpote que ex Gentilibus vitam et sanguinem suum in tormentis et martyriis profundentibus congregata et coadunata fuit. Huic etiam nostro proposito conformiter asserere possumus, quod a primordio novæ Legis

gratiæ, hoc factu, docere non voluit Sapientia æterna quod iidem Gentiles, qui profundissent Christianorum sanguinem, conversi postea ad veram fidem, sacras Reliquias, profusumque sanguinem eorumdem Martyrum, debita veneratione colissent, cum quo et corporis, et animæ salutem sibi comparassent: *Tetigit fimbriam*, etc. Doctrina est doctissimi Salmeronis: « Instruimur, inquit, quod « Deus miraculis subscribit virtuti corporum Sanctorum vel Reliquiarum, teste Bernardo, super his « verbis. Neque mirum est, nam si Dei bonitas « per quamvis creaturam se effundit ad dona sua « communicanda, quanto magis per Reliquias et « corpora Sanctorum, quibus Deus singulares virtutes quibus nostram excitaret fidem et erigeret « imbecillitatem, videtur contulisse? » Ab hac igitur salutari Christi veste, confidente et devota manu tacta, efficacem ac miraculosam virtutem vestium Sanctorum, et multo magis cinerum et ossium beatorum corporum deducere possumus, Vivificam hanc vestimentorum virtutem Saluator noster ad Apostolos suos etiam transferre voluit. Quapropter in Actis Apostolorum, xix, 11, legitur: *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli; ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria vel semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur.* Superius, cap. v, 14, refert Lucas de S. Petro: *Magnis autem augebatur credentium in Domino multitudine virorum ac mulierum, ita ut in plateas egerent infirmos et ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illum et liberarent omnes ab infirmitatibus suis.* Si sola umbra sui mortalis corporis curabat infirmos, quanto magis rationi congruum erat, ut ossa et corporis cineres sui salutariter hanc imberent efficaciam et virtutem.

b. — Ut aer ventorum turbine, sic cogitationum et affectionum procellis mulier turbabatur. Confligebat cum fide cura, cum timore spes, et supplicatio cum pudore, timoris frigus instinguebat credulitatis ardorem, vis amoris obscurabat lucem fidei, spei constantiam necessitas verecunda frangebatur. Sic mulier magni maris instar confusus aestibus jaetabatur. Vincit interim fides, ait S. Petrus Chrysologus: « Confugit mulier ad sidem subitam, » cui longa defecerat cura; que confundebatur medicinam petere, furari voluit sanitatem. « Nesciri se ab eo voluit, quod credidit se posse « salvari. » Nec vane, optatam siquidem sanitatem consecuta est. Quod hisce notat D. Isidorus Pelosiota verbis, *lib. III, Epist. cxxii*: « Et fimbriam « tetigit, Christus id passus, ac morbus profugit. » Ecce ut mulier duodecim annis misere afflicta, omnia sua expendit in medicos; adest Christus, unaque permisit sue presentie appropinquare et morbus profugit. Nempe tunc Deus suo adest auxi-

lio, quando tribulamur et auxilio ab hominibus destituti sumus. Fidelis quævis anima sancta quadam ambitione anhelare debet ad subeundam passionem tribulationis et adversitatis, cum tale apud Deum præstoletur lucrum, videlicet: *Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde.* *Psal. xxxii, 19.* Infalibilis ipsiusmet Dei promissio est: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum.* Unde extat doctrina S. Paulini: « Ab initio sæculorum Christus in omnibus suis patitur, ipse enim est initium « et finis, qui in lege velatur, in Evangelio revelatur; mirabilis semper et patiens, et triumphans « in Sanctis suis Dominus. In Abel occisus a fratre, « in Noe irrisus a filio, in Abraham peregrinatus, « in Jacob famulatus, in Joseph venditus, in Moysæ « expositus et fugatus. » Conclusio quam inde elicit, est: « Exullemus igitur et gloriemur in ipso, qui « nos et pugnam et victoriam suam fecit, indicens: « *Constantes estote, quia ego vici mundum.* » De hoc patrocinio et assistentia Dei in extrema necessitate et tribulatione nostra dubitare non possumus, quemadmodum pia et sancta illa afflicta mulier ex instinctu Spiritus Sancti, nobis revelavit, huic dedita orationi, *Tob., iii, 21*: *Hoc autem pro certo habet, qui te colit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur; si autem in tribulatione fuerit, liberabitur; et si in corruptione fuerit ad misericordiam tuam venire licebit.* Non enim delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillam facis.

Castissima Susanna heroico animo restiterat, generoseque se opposuerat iniquis iudicibus populi et lamem tanta cum ignominia et calumnia tanquam adultera condemnata fuit; unde et populus in prociectu stabat ad lapidandam paratus. Exclamavit autem voce magna Susanna et dixit: *Deus æternæ, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis quantum falsum testimonium tulerunt contra me; et ecce morior, cum nihil horum fecerim quæ isti malitiose composuerunt adversum me.* *Dan., xiii, 42, 43.* Et ecce adimpletam id, quod oraculo prophetico promissum est: *Clamabit ad me et ego exaudiam eum, eripiam eum.* Etenim cum duceretur ad mortem, omnisque abesset succursus humanus, suscitavit Dominus spiritum sanctum pueri junioris, cuius nomen Daniel, etc., et cum summa castæ Susanne gloria detecta fuit ejus innocentia, eminensque virtus ejus, et in terra et in celo glorificata.

c. — Hæc Hemorrhœissa nullos patronos adscivit, ut ad Jesum accederet, nullos titulos, nulla verborum lenocinia congressit, nihil loquitur, nihil clamat, solum Jesu sistitur, Jesu miseriam suam ostendit et sanat. Sicine vel una sola representatio necessitatis efficacissima est ad Deum in vota trahendum? Sic vel simplex afflictae postulatio, tam verum effectum sanitatis obtinere valet? Præclare

S. Ambrosius, *lib. III de Virg.*, ait: « Simul ut « accessit mulier, virtutem sensis, medicinam impendit, ut si oculum lumini admoveas, illuminatur, antequam sentias, et operatio lucis prævenit « apparatus. » Recurre ergo, exemplo mulieris, in tribulatione ad orationem, quæ afflictiorum preces efficacissimæ sunt. Patriarcha Jacob pervolvite reditum ad domum paternam. Postquam is intellexit, fratrem suum Esau odii et rancoris, quem pluribus annis in corde contra eum foverat, veneno repletum, in via sibi occurrere cum quadringentis sicariis, sapiens Jacob ferventi corde Deum exoravit: *Deus patris mei Abraham et Deus patris mei Isaac,* etc. Sacrum prelegite textum et videbitis tribulationem suggestisse ei supplicandi methodum optime compositam, atque fiducia plenam: *Minor sum cunctis miserationibus tuis et veritate tua,* etc. « Artificio spiritus format efficacissimum orationem, » ait Lippomanus. Vultisne orationis hujus videre effectum? In defensionem ejus misit Deus Angelos aliquot tutelares: *Castra Dei sunt hæc;* simulque eorum obstinati fratris adeo mulavit, ut odium converterit in amorem: *Currens Esau fratris suo obviam, amplectens est eum, stringensque collum ejus et osculans fevit.*

Notum est omnibus orationem figurari per incensum: *Dirigitur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo;* significatur pariter per aromata. Sed quo modo ista diffundunt odoris sui fragrantiam, nisi contrita et contusa? Similiter incensum odorem ad nares nostras transfundit, accensis injectum carbonibus; item asserere possumus de oratione nostra, illam gratiorem fore Deo et coram throno Altissimi comparitaram acceptiorem efficaciorerque quam profundum animæ contrite et tribulate, patienter pro amore Dei quascumque tolerant calamitates. Inter alios fructus afflictionis quæ premuntur justis, enumerat S. Bernardinus sequentes: « Ut clament affectuosius et invocent, scilicet, auxilium Salvatoris. » Unde Augustinus: « Premuntur justis in « Ecclesia, ut pressi clamant, clamantes exaudiantur, exauditi glorificent Deum. Tria utique sunt, quæ faciunt auxilium fortiter invocare, accensus « ignis in domo, subintrans aqua in navim et tempestas vehemens in mari. Sic nempe ignis afflictionum et aqua tribulationum, insuper et tempestates persecutionum, justos torpentes excitant ad affectuosum clamorem; et tunc quippe, ut « læstatur Psalmista, *prope est Dominus omnibus « invocantibus eum in veritate.* »

d. — Hæc mulier per duodecim annos nunquam ad Deum confugerat, sed potius omnia sua in remedia humana expenderat; unde videtur quam pauci ad Deum confugiunt; et tamen ab hoc solo vera salus reportatur. Apparebit hic negligentia Christianorum in acquirendis bonis æternis, quæ per mundanorum in terrenis acquirendis et amissis